

nitur, partim per internam ejus formam, verbo Divino descriptam, partim per exteriorem, si à seriâ contritione ortum duxerit & peccandi libidinem verè extingvat. II. Petr. II. 20.

X. Si Christianismus pro eo hominis statu accipiat, quo in gratiâ Divinâ is constituitur, solâ fide ex parte hominis absolvitur. Act. II. 37.

XI. Si pro Christiani hominis officio, rectè docuerunt etiam Catechetici libelli: Christianum non esse, nisi qui & rectè credat & piè vivat.

XII. Non credunt infantes fide alienâ, vel Parentum vel Patrinatorum, sed suâ, à fide adultorum essentialiter non diversâ, Hab. II. 4.

---

Disp. XLI.

De

## Bonis Operibus.

I.

**B**onum opus in rigore Divino non est, nisi quod legi perfectè conformatum est, cum quoad omnes animi corporisque facultates, tum quoad res omnes & actiones, ab iisdem proficiscentes, tum quoad intensiorem omnium agendi virium, toto vitæ tempore sine ullâ interruptione exerendarum. Deut. VI. 5. I. Cor. XIII. 8.

II. Unde Bona Opera verè perfectèque talia ne quidem in renatis dantur, nedum in gentilibus. Rom. VII. 19.

III. Vera tamen sunt bona opera gentilium, quâ legi quodammodo conformia sunt, Rom. II. 14. ut vera est notitia, quam de DEO habent, Rom. I. 18. licet imperfectissima.

IV. Veriora sunt etiam legaliter Christianorum Bona opera, quia ad principium perfectius regulantur & fiunt auxilio Spiritus Sancti, non obstante eorum imperfectione. Rom. II. 7.

V. Rectè interea B. Lutherus: *in omni bono opere est peccatum.* Idque juxta regulam: bonum æstimatur ex integrâ caulâ, malum ex quovis defectu.

VI. Quam.